

absolutam, et ex suppositione, generaliter pronuntiat: *Quod necessitas illa quæ pendet ex causis prioribus, est absoluta*; quod in tribus causis, materiali, formali et efficiente declarat, et adjungit: *Quod autem habet necessitatem ab eo quod est posterius in esse, est necessarium ex conditione vel suppositione, quæ est manifesta declaratio distinctionis Anselmi in sensu a nobis tradito.*

24. *Male allegatus D. Thomas, se explicat.*— Quia vero declarando illud prius membrum in causa efficiente, exemplum ponit in motu solis, respondent moderni qui se discipulos ejus maxime profitentur, illum loqui de causis naturalibus, seu inferioribus, non de causa prima. Sed hoc est imprimis contra generalitatem priorum verborum, quæ non limitantur propter unum exemplum, quia non oportuit in omnibus speciebus causarum efficientium exempla ponere, nam illud tanquam notius positum est. Deinde obstat vis rationis, quæ non est minor in prima causa quam in aliis, ut paulo antea dictum est. Præterea obstat definitio primi membri, quæ, ut sit adæquata, non admittit necessitatem secundi modi, nisi ubi non ex priori aliquo, sed ex posteriori sequitur. Unde illi doctores, ut suam opinionem D. Thomæ adscribant, illius doctrinam mutilant, et partitionem, vel declarationem ejus insufficientem reddunt. Accedit quod idem D. Thom., 3 p., q. 46, art. 1, cum dixisset *quandam esse necessitatem ex aliquo exteriori, quod si sit causa efficiens vel movens, facit necessitatem coactionis*, ad excludendam hanc necessitatem a passione Christi, addit non habuisse illam ex parte Dei: ergo intelligit, sub illa violenta necessitate proveniente ex aliquo exteriori principio, includi etiam illam quæ a Deo provenire potest.

25. *Idem alibi.*— His consonat alia doctrina ejusdem Doctoris Sancti, quæst. 6 de Malo, art. unic., ubi generaliter docet, ad libertatem actus voluntatis quoad exercitium, necessarium esse ut ab extrinseco principio, etiam a Deo ipso, non necessitetur, utique ex aliqua suppositione antecedente et prævia; unde sic inquit: *Deus, cum omnia moveat secundum rationem mobilium, levia sursum, et gravia deorsum, etiam voluntatem secundum ejus conditionem, non ut ea necessitate, sed ut indeterminate se habentem ad multa.* In quibus verbis obiter notari potest, pro aliis quæstionibus postea tractandis, Deum, ratione concursus generalis et concomitantis, dici movere omnia; sic enim et non aliter movet le-

via sursum, et gravia deorsum: ita ergo ratione ejusdem concursus intelligendus est D. Thomas hic et in multis aliis locis, cum dicit Deum movere voluntatem. Item in hoc ipso movendi genere dicit movere voluntatem secundum ejus conditionem, in qua conditione illa duo, tanquam opposita, contraponit, scilicet, ut ex necessitate et ut indeterminate se habente, sentitque D. Thomas (quod ad præsens spectat), si motio etiam ipsius Dei præcedat determinando, induci sensum compositum repugnantem modo proprio operandi voluntatis, et consequenter inferri necessitatem simpliciter, et non tantum secundum quid.

26. *Nostra et Anselmi sententia ratione probatur.*— Tandem ratione declaratur, et sensus Anselmi, et nostra sententia, quia quando suppositio est antecedens in sensu dicto, id est, non facta per usum libertatis, sed præveniens illum, si effectus est necessario connexus cum tali suppositione, talis necessitas non est fundata in illo principio: *Impossibile est idem simul esse et non esse*, ut jam supra declaravi, quia non sunt idem id quod supponitur, et quod necessario sequi dicitur: ergo fundatur in alio principio, videlicet, impossibile est poni talem causam sic affectam, et ex illa non sequi talem effectum distinctum ab ea conditione vel affectione quæ in causa supponitur; ergo hæc non est necessitas sensus compositi de quo Aristoteles, et Anselmus, qui illum allegat, et D. Thomas qui illum exponit, et cæteri theologi qui illum sequuntur, locuti sunt: ergo illa non est necessitas tantum secundum quid, quæ dici solet consequentiæ, sed est necessitas simpliciter, et consequentis, quia est necessitas effectus ex sua causa, quæ est propria necessitas physica quæ in ipsa effectione rei invenitur: et non est tantum illationis, et quasi ex mentis comparatione, qualis est in necessitate ejusdem rei ex sui ipsius suppositione. Secundo, si suppositio illa antecedit omnino usum libertatis, in ejus positione non intervenit exercitium libertatis humanæ, nec etiam intervenit in emanatione effectus a tali suppositione, quia fit cum tanta necessitate, ut non subdatur dominio ejusdem voluntatis, nec ipsa possit illam emanationem impedire: ergo ille effectus in re ipsa non fit cum usu libero voluntatis humanæ; ergo non est liber: ergo sensus compositus ex tali suppositione non sufficit ad salvandam libertatem.

27. *Evasio cum præclusionione ejus.*— Tertio, posita hujusmodi suppositione, voluntas, etiam

spectata prius natura quam operetur, tantum potest unum agere, illud, scilicet, quod ex tali suppositione sequitur cum necessitate quoad exercitium: ergo non agit ut potens agere et non agere, positis omnibus prærequisitis ad agendum. Nec satisfacit responsio quod voluntas etiam tunc agit, ut potens agere et non agere, quia sub illa suppositione retinet totam suam potestatem ad utrumque indifferentem, ut in quarta suppositione admisimus. Hoc, inquam, non satisfacit, quia ut in superioribus cum Scoto et Capr. dixi, illa potestas est ibi quasi sopita et impedita quoad omnia alia præter illud unum quod ex tali suppositione necessario sequitur, et ideo est tantum potentia remota ad plura, non vero est potentia proxima qualis ad usum libertatis requiritur, ut supra explicando descriptionem liberi arbitrii probatum est: ergo sensus compositus ex tali suppositione revera non salvat libertatem. Debet ergo in illo accipi suppositio consequens, non antecedens, in sensu a nobis declarato. Et e converso potentia in sensu diviso tunc deserviet libertati tuendæ, quando illa potestas intelligitur proxima in ipsa voluntate, prius natura quam se ad alteram partem determinet; tunc enim divisio ipsa, ut sic dicam, est in potestate simpliciter ipsius voluntatis; alias si divisio non est in potestate voluntatis, id est, si aliquid in illa ponitur quod ipsa impedire aut remove non potest, ut alterum ex duobus operetur, tunc sensus ille divisus inutilis est ad libertatem tuendam; nam in potentiis naturaliter operantibus talis potestas in sensu diviso reperiri potest, ut in superioribus etiam argumentatus sum.

28. *Opposita motiva declarantur.*— Neque contra hanc sententiam obstant motiva alterius opinionis: nam exempla quæ adducuntur, omnia involvunt suppositionem consequentem, non antecedentem. Nam scientia Dei, ut Anselm. docet, involvit rem esse futuram, et ita licet antecedit æternitate, non est suppositio antecedens, quia, secundum habitudinem quam dicit ad tempus in quo res est futura, non prius est quam sit verum rem esse futuram: imo ordine rationis supponit determinationem futuram per liberum usum libertatis, quia præscientia hæc futurorum, ut scientia visionis est, non est causa vel ratio quod res sit futura, sed pura intuitio rei futuræ, ut infra dicam, et ideo non mutat modum ejus, ut etiam dixit Aug. l. 3 de Lib. arb., a principio. Eademque ratio est de prophetia, cum hæc in præscientia Dei nitatur et

sit illa posterior. Secundum exemplum erat de voluntate Dei prædeterminante, seu prædefiniente, de qua in lib. 5 ex professo dicturi sumus. Nunc breviter cum Anselmo, libro de Concord., c. 2, dicimus: *Dubitari non debet, quia ejus prædestinatio et præscientia non discordant, sed sicut præscit, ita quoque prædestinat.* Et infra: *Sicut præscientia, quæ non fallitur, non præscit nisi verum, sed erit aut necessarium, aut spontaneum, ita prædestinatio, quæ non mutatur, non prædestinat, nisi sicut est in præscientia.* Itaque etiam voluntas divina, etiamsi sit absoluta, efficax et prædestinans, seu prædefiniciens, quatenus est de actibus liberis, et decernit non solum ut sint, sed etiam ut liberi sint, supponit aliquam præscientiam, saltem conditionatam, ipsius liberi usus voluntatis futuri cum solo concursu comitante, si cæteræ præviæ conditiones necessariæ ad volendum congrue voluntati præparentur; et quia voluntas illa prædefiniciens semper observat aliquo modo hunc respectum, ideo ex hac parte est suppositio consequens, et non antecedens. Et hoc modo efficacia divinæ voluntatis non obstat libertati voluntatis creatæ: imo illam munit et dirigit, ut in lib. 5 ex professo explicaturi sumus. Tertium exemplum erat de concursu prævio, quod dicimus falsum supponere, ut in l. 3, ad finem, ostendemus. Quartum erat de auxilio efficaci, ad quod dicimus, si intelligatur esse de se ita efficax, ut physice prædeterminet voluntatem creatam, falsum etiam supponere: si vero sit sermo de auxilio efficaci per vocationem congruam, sic non ita est suppositio antecedens, quin connotet habitudinem ad usum liberum præcognitum, ut aliquo modo, id est, sub conditione futurum, et ex eo capite non est suppositio antecedens, sed consequens, ut in libro quinto tractandum est.

29. *S. Thomas in oppositis etiam locis nobis favet.*— Nec D. Thomas, in locis quæ ibi allegantur, aliquid in contrarium docet. Quia potius in dicta quæst. 14, 1 p., art. 13, ad 2, ait præscientiam Dei non tollere libertatem actus futuri, quia respicit illum ut præsentem, et ita ut necessarium ea necessitate qua res, dum est, necesse est esse. Ubi aperte declarat necessitatem illam esse consequentem, et ex suppositione ejusdem rei, ut declaravimus. Et eandem doctrinam repetit in solutione ad 3, additque (quod notandum est) scientiam Dei esse extrinsecam rei scitæ, nullamque dispositionem ipsi inhærentem illi imprimere, ideoque relinquere illam contingentem, sicut

est, et ita etiam illam intueri, ut simpliciter liberam seu contingentem, ut necessariam vero ea tantum necessitate qua res, quando est, necesse est esse.

30. *Obstaculum nullum nostræ sententiæ opponi potest ex libris D. Thomæ.* — Neque in quæstione de Veritate, ubi de eadem scientia Dei tractat, aliud docet. In aliis vero locis, ubi D. Thomas agit de voluntate divina, solum habet hanc verissimam doctrinam, quod efficacia vel efficientia voluntatis divinæ non infert necessitatem simpliciter causis secundis liberis, vel contingentibus, cum potius ipsa sit prima radix effectuum liberorum, et ex ipsius dispositione proveniant, quia non solum voluit tales effectus, sed etiam modum eorum, et ideo causas utrisque accommodatas præparavit, easque secundum modum illarum movet. Ex qua doctrina respondet, in illa quæst. 19, 1 part., art. 8, ad 3, ex voluntate Dei non sequi in actibus voluntatis creatæ necessitatem simpliciter, sed tantum secundum quid, et conditionatam, quia Deus non voluit eos habere majorem necessitatem. Idemque repetit in quæst. 22, art. 8 toto, et toto etiam art. 6, quæst. 23, ubi concordiam prædestinationis cum libertate remittit ad concordiam præscientiæ et voluntatis. Et fere idem habet dicta quæst. 6 de Verit., art. 12, ad 7, ubi etiam de prædestinatione agit, additque quod supra de scientia dixerat, et nobis postea inserviet, prædestinationem nihil ponere in prædestinato sicut nec præscientiam in præscito, et ideo non impedire quominus res secundum se contingens maneat contingens, etiamsi infallibiliter futura sit, sicut est prædestinata. Quamvis autem hæc omnia verissima sint, in eis non explicatur in particulari modus, quomodo efficacia divinæ voluntatis conjungat illa duo, scilicet, quod effectus infallibiliter fiant, et eo modo fiant quo sunt voliti, scilicet, libere. Nos autem dicimus hæc conjungi media aliqua præscientia, et ea ratione non includere suppositionem omnino antecedentem, quod D. Thomas ibi non negavit, licet non expresserit; imo insinuat, dum eodem fere modo de voluntate ac de scientia loquitur, et eas conjungit. Sed hæc latius in librum 5 remittimus.

31. *D. Thomæ ex D. Thoma respondemus.* — Quæ vero ad concursum pertinent, in lib. 3 tractanda sunt. Nunc autem ad locum illum 1. 2, quæst. 10, art. 4, ad 3, respondemus D. Thom. loqui de Deo movente per concursum concomitantem, sicut paulo antea in simili notavimus ex quæst. 6 de Malo, et ex corpore ejusdem art. 4 idem colligi potest; dum enim ait ex causis necessariis *per motionem divinam* sequi effectus necessarios, per illam motionem divinam nihil aliud quam concursum comitantem intelligit, ut lib. 3 ostendam. Concursus autem simultaneus non est suppositio antecedens, sed comitans, et necessitas inde secuta, est tantum consequens, ut jam explicatum est. Alius vero locus de gratia efficaci, 1. 2, quæst. 112, art. 3, solum probat Deum interdum efficaciter intendere effectum pendentem ex libera cooperatione hominis, et habere modum quo ita moveat hominis voluntatem, ut infallibiliter et libere consensum ejus obtineat; quomodo autem id faciat Deus, D. Thomas ibi non exponit. Nos autem dicimus id non fieri per suppositionem inducentem antecedentem necessitatem, sed consequentem, media aliqua præscientia Dei, et ita doctrinam illam non repugnare alteri quam tradidimus; modum autem illum motionis in libro quinto explicaturi sumus.

32. *Ad argumenta a ratione petita.* — Ad rationes, respondetur priorem falsum supponere, quia formalis libertas non consistit in judicio rationis, et illo stante voluntas necessitari potest simpliciter, ut supra ostendimus. Ad alteram vero rationem dicitur, posita antecedente suppositione, quæ necessitatem in sensu composito ejusdem suppositionis inducat, manere in voluntate potestatem remotam, qua potest actum suum non elicere, si talis suppositio auferatur; hæc autem potestas non satis est ut actus quem nunc facit sub tali suppositione sit liber, quia prius natura quam illum eliciat, est ita affecta, ut simpliciter non possit illum non elicere, ideoque talis necessitas antecedens simpliciter libertati repugnat. Sequebatur hic disserendum an in homine lapso sit ista libera facultas, et usus ejus; sed de hoc in Prolegomeno IV, cap. 7, et in lib. 5, cap. 4, dicemus.

INDEX CAPITUM PROLEGOMENI SECUNDI.

DE SCIENTIA, QUAM DEUS HABET DE LIBERIS ACTIBUS SUB CONDITIONE FUTURIS PRIUS RATIONE QUAM ABSOLUTE FUTURA COGNOSCAT.

- CAP. I. *Sensu et statu controversiæ proposito, variæ sententiæ cum suis auctoribus referuntur.*
- CAP. II. *Deum habere certam et infallibilem scientiam futurorum contingentium conditionatorum ex Scriptura, prout a Patribus intellecta est, ostenditur.*
- CAP. III. *Plures ex Sanctis et antiquis Patribus scientiam conditionatam in Deo cognovisse, præsertim Augustinum, et nullum eorum illam Deo negasse.*
- CAP. IV. *Neque in Augustino, neque in aliis Patribus aliquid contra perfectionem divinæ scientiæ conditionatæ reperiri.*
- CAP. V. *Deum habere conditionatam scientiam futurorum ante decretum liberum suæ voluntatis, secundum rationis ordinem; nec posse talem scientiam in tali decreto fundari, ex eisdem Scripturæ et Patrum testimoniis ostenditur.*
- CAP. VI. *Quid de hac scientia conditionata D. Thomas senserit.*
- CAP. VII. *Ratione a priori ostenditur dari in Deo conditionatam præscientiam, et principali fundamento contrariæ sententiæ occurritur, veritasque talium propositionum declaratur.*
- CAP. VIII. *Quæ decreta conditionata et libera Deo attribuenda sint, et in illis non posse contingentia sub conditione futura præsciri.*
- CAP. IX. *Nonnullis objectionibus occurritur, earumque occasione doctrina data magis declaratur, et veluti in summam redigitur.*
- CAP. X. *Alteri objectioni occurritur, et an scientia visionis sit causa futurorum explicatur.*